



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Speculum Approbandorum Bipartitum

Unczovsky, Marianus

Coloniæ Agrippinæ, 1693

Quæstio XLVIII. In qua adhuc nonnulla de Ministro Pœnit: juxtà Pontificum
Decreta.

urn:nbn:de:hbz:466:1-37308

tum pœnæ aternæ igitur &c. ex quo patet quomodo competat dimittere pœnam aternam & culpam Sacerdoti, & quomodo DEO? nempe huic principaliter illi vero ut dictum est ministerialiter tanquam DEI Ministro.

QUÆSTIO XLVIII.

In qua adhuc nonnulla de Ministro Sacrament. Penitent. juxta Pontificum Decreta.

Vicar. **P**ossetne Parochus habens Jurisdictionem Ordinariam in sua Parochia, simplici Sacerdoti eam delegare in ordine ad absolvendum Sacramentaliter?
 S. Existimo quod præscindendo à *Sac. Conc. Trid.* dispositione posset, verum stante declaratione ac determinatione præfati Concil: hoc amplius fieri non potest, & potestas in Parocho ad delegandam suam jurisdictionem omnino cassata, annullata & ablata est: hinc *Alexand. fel: record: Papa VII.*
 dam-

damnavit Propositionem sequentem :
Qui Beneficium Curatum habent, possunt
libere eligere Confessarium simplicem Sacer-
dotem non approbatum ab Ordinario.

Unde autem ostenditur quòd talis
opinio per Tridentinum sit annullata?
S. Ex verbis ipsius Sess. 23. cap. 15. ubi
sic decernitur, & declaratur: *Quam-
vis Presbyteri in sua ordinatione a pec-
catis absolvendi potestatem accipiant; de-
cernit tamen Sancta Synodus, nullum e-
tiam Regularem posse Confessiones secula-
rium etiam Sacerdotum audire, nec ad
id idoneum reputari, nisi aut Parochiale
Beneficium habeat aut ab Episcopis per Exa-
men si illis videbitur esse necessarium, aut
aliis idoneus judicetur, & approbatio-
nem qua gratis detur obtineat, privile-
gijs, & consuetudine quacunq; etiam im-
memorabili non obstantibus; ex quo pa-
tet illos solum posse Confessiones au-
dire, qui habent Parochiale Benefici-
um, aut sunt ab Episcopis approbati,
atque simplex Sacerdos, datâ quacun-
que*

que Parochi delegatione non habet Parochiale Beneficium, nec est ab Episcopis approbatus, ergo ex vi cujuscunq; delegationis non potest Parochum aut ejus subditum validè absol- vere.

V. Quæro an Parochus possit exponere tum pro se, tum pro suis subditis Parochos alterius Diœcesis, aut Regulares in alia Diœcesi approbatos?
S. Quidam inter quos *Joan. Della Cruz. q. 5. dub. 6. Concl. 3. Henriquez lib. 7. cap. 12. n. 4.* affirmant, eo fundamento ducti, quia Parochi alterius Diœcesis, & Regulares in alia Diœcesi approbati habent conditiones à Trident: requisitas: habent enim Parochiale Beneficium & sunt ab Episcopo approbati, ergo saltèm à Parocho poterunt deputari vel eligi, tum pro se, tum pro suo grege; Cæterùm respondent alij, quòd licèt possit Parochus delegare suam jurisdictionem tum pro se, tum pro suis ovibus alteri Parocho ejusdem Diœ-

ce-

ffis, nihilominus Sentent: citat: DD.
implius sustineri non posse, imò fuis-
damnatam ab Innocent. X. in Bulla
incipit: *Cum sicut accepimus* Ubi
ter alia habetur: *Regulares etiam So-*
cietatis JESU in una Diœcesi ab Episcopo
approbatos ad Confessiones Personarum
Secularium audiendas, nequaquam posse
in alia Diœcesi hujusmodi Confessiones au-
dire sine approbatione Episcopi Diœcesa-
rii; (observetur benè ly sine &c.)
V. Nunquid verum est, quòd isti ha-
beant conditiones à Tridentino re-
quisitas?

S. Minimè: quia licèt Parochus & Re-
gularis in sua Diœcesi non sint simpli-
ces Sacerdotes, benè tamen in alia, ubi
nec Parochus habet beneficium, nec
Regularis approbationem.

U. Igitur respiciendo Decretum Sac:
Conc: Trid: Sess: cit: fateri oportebit,
quòd is qui confiteretur Sacerdoti Re-
gulari Episcopo præsentato, sed ab eo
injustè reprobato, non satisfaceret
præcepto auctoritatis Confess: ? S. Sic

S. Sic est: quia ad hoc ut quis satisfaciat præcepto annuæ Confessionis, validaque ponatur Confessio, oportet, quòd Confessarius habeat jurisdictionem vel ordinariam, vel delegatam, ut constat ex *Trid. Sess. 14. c. 7.* ubi hæc leguntur: *Personam semper in Ecclesia DEI fuit, & verissimum esse Synodus hæc confirmat, nullius momenti absolutionem eam esse debere, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam, aut subdelegatam non habet jurisdictionem;* atqui Sacerdos præsentatus duntaxat & non approbatus non habet jurisdictionem, nec ordinariam (ut patet) nec subdelegatam, licet injustè denegetur, ergo tunc nulla ponetur absolutio, & nulla satisfactio respectivè ad præceptum annuæ confessionis; qui enim jurisdictionem non habet, sive justè sive injustè denegetur, actum requirentem jurisdictionem non ponet; Tum quia sicut actus non subsistit sine materia (ac proinde Confessio Sacramentalis sine

me materia est nulla) similiter actus
ne substantia est nullus, patet autem
quod jurisdictio sit de substantia abso-
lutionis ex cit: Trident: ergo &c. Tum
enim; quia actus factus contra legis
prohibitionem est nullus, quando lex
prohibet actus substantiam, atqui Tri-
dentinum prohibet substantiam abso-
lutionis sine Episcopi approbatione,
ergo non positâ hâc conditione sub-
stantiali absolutio erit nulla.

U. Nonne advertere debet Confessa-
rius Regularis, quod auditis confes-
sionibus ægrotantium in eorum domi-
bus, debeat certiozem facere Paro-
chum vel per se vel per alium de hu-
jusmodi confessionibus?

S. Omnino conformiter ad Constit. Cle-
ment. X. quæ incipit: Sanâ eum Sac.
Conc. Trid. decretis &c. ubi Pontifex in-
ter alia decernit, semel simpliciter ap-
probatos posse in Diocesi Episcopi appro-
bantis quovis Anni tempore etiam Pa-
schali, & quorumcumq; etiam infirmorum

Con-

Confessiones audire, absq̄ ulla Parochorum vel Episcopi licentia, de qua tamen Confessione teneri dictos Religiosos eorundem infirmorum Parochum illico certiorum reddere, & hoc posse illis ab Episcopo sub pœna suspensionis à facultate audiendi Confessiones præcipi: sufficere tamen ut certioratio huiusmodi fiat saltè per Scripturam apud ipsum infirmum relinquendam. Advertendum etiam est juxta eandem Constit. & decret. Sac. Congreg. quòd Confessarij Regulares, dum approbantur ad audiendas Confessiones secularium, nequaquam censeantur approbati ad audiendas Confessiones Monialium, sed egeant quoad hoc speciali Episcopi approbatione: item quòd approbati pro audiendis Confessionibus Monialium unius Monasterij, minimè possint audire Confessiones Monialium alterius Monasterij.

V. Dic mihi quæso quid scire debeant Confessarij Monialium?

S. Debent habere notitiam Regulæ & Con-

Constitutionum illarum, ut sciant, quomodo eas dirigere, atq; ad illarum observantiam inducere valeant; debeat item habere sufficientem notitiam statûs Religiosi, ut Moniales in eo continere possint, item ultra Scientiam Moralis Theologiæ &c. debent esse conversati in studio Orationis, mortificationis &c.

Q. Non valet una approbatio Confessarii Monialium pro semper?

A. Non: ut patet ex *Deer. cit. Pontif. & Sac. Congreg. 21. Febr. 1617*, benè tamen ultra Confessarium Ordinarium, quotannis bis terve dandus est Extraordinarius.

Q. Nonnè si Confessarius (quod Deus vertat) in actu Confessionis Sacramentalis Mulierem ad turpitudinem provocaret, tanquam de Hæresi suspectus puniri deberet ab Inquisitoribus Hæreticæ pravitatis?

A. Sic lego in *Constit. Pij IV. quæ incipit Cùm sicut & Gregor. XV. quæ incipit*

Inscrutabili; damnârunt etiam hoc turpissimum peccatum *Clemens VIII.* & *Paulus V.* & una ex damnatis Propositionibus ab *Alexand. VII.* est hæc: *Confessarius qui in Sacramentali Confessione tribuit Penitenti chartam postea legendam, in qua ad Venerem incitat, non censetur sollicitasse in Confessione, ac proinde non est denunciandus.*

V. Estne traditio talis chartæ dicenda sollicitatio?

S. Absq; dubio, saltèm incomplete & inchoativè sive virtualiter, cùm in se contineat turpia, quæ sunt formalis quædam sollicitatio; imò aliquo modo posset moraliter loquendo traditio illa chartæ dici sollicitatio completa, non quidem quoad actum turpem ad quem mulier cui charta traditur, sollicitatur, sed quoad rationem sollicitationis, sicut Debitor dicitur solvere debitum, quando chartam tradit Creditori quâ pecuniam à determinata Persona exigere valet. Sanctissime itaque

que Summi Pontifices sollicitationem
Confessariorum in Confessione, aut
post ipsam, vel etiam in ipso Confes-
sionali (licet Confessio non sequatur)
ideo rigidè prohibuerunt, & tam ri-
gidè puniunt, quia per talem sollici-
tationem non levis fit injuria Sacra-
mento, Pœnitentiæ, & (proh DEUM!)
ubi Pœnitens monendus est, ut vitam
in melius mutet, accipit aliquando
chartam quâ in deterius vertitur, &
consequenter ad peccandum iterum
magisq; quàm prius excitatur, item
scandalizatur & occasionē sumit quar-
doq; non amplius confitendi.
U. Cùm simus in hac materia sollici-
tationis benè consideranda, quæro an
sit ultra aliqua Propositio damnata à
S. S. *Alex: VII.* eandem concernens?
S. Est sequens: *Modus evadendi obliga-
tionem denunciandæ sollicitationis est: si
sollicitatus confiteatur cum sollicitante, hic
potest ipsū absolvere, absq; onere denunc.*
V. Ergo Confessarius qui sollicitavit,
Ll 2. te-

tenebitur Fœminã Cõfitentẽ sollicitam monere de obligat. denunciandi. S. Omnino, unde si Confessari⁹ sollicitas monere noluerit Pœnitentẽ de obligatione denunciandi, non poterit illius Confessionem audire, quòd si audire præsumpserit non interposita monitione, non fiet Sacramentum, quod verum est etiam si Fœmina consensisset sollicitationi, adhuc namque teneatur denunciare Confessarium sollicitantem cum per consensum non eximatur ab obligatione denunciandi; non tamen tenetur proprium consensum manifestare, nec de hoc potest ab Ordinario Inquisitore vel interrogari, & in casu, quo ipse Pœnitens manifestaret consensum, non debet scribi in actis, tanquam res non pertinens ad Tribunal Inquisitionis; similiter si ipse Confessarius manifestaret consensum fœminæ, non debet scribi, sed omnino silentium debet imponi, ut sic famæ denunciantis occurratur. ¶ Eti-

Etiamne hæc obligatio denunciandi extenditur ad Masculos?

Extenditur.

Quid respondes ad hunc casum? Quidam Confessarius sollicitavit Juvenem ad turpia, qui omnino restitit sollicitanti, imò ipsum acriter corripuit, in se reversus Confessarius, vel ob timorem, vel ob aliud motivum veniam petijt à dicto Juvene, & dixit illi ut suam Cōfessionem perficeret, quod ne nullam habeat obligationem denunciandi, propterea, quia in duobus casibus non est obligatio denunciandi, quando videlicet sollicitatus consentit, (cùm non teneatur se ipsum in famam) & quando Confessarius peccatet & sollicitatus confitetur, denique obligationem denunciandi esse in feminis non verò Masculis.

S. Respondeo quòd ille Juvenis omnino tenebatur talem Confessarium denunciare, nam sive Confessarius peccateat, sive non, Pœnitens sollicitatus

tus tenetur denunciare, non enim præcipitur denunciatio in Casu quo sollicitator non pœniteat, sed absolute, cùm hæc denunciatio sit ad punitionem tanti delicti ob summam irreverentiam Sacramento Pœnitentiæ irrogatam; nec verum est, quòd quando Pœnitens consensit, non urgeat obligatio denunciandi, quia (ut dixi) non tenetur Pœnitens suum consensum manifestare; neque etiam verum est sed omninò falsum, quòd præceptum denunciandi sit quoad sollicitantes fœminas & non Masculos, cùm in *Gregoriana* etiam sollicitantes Masculos comprehendantur, ut constat ex illis verbis Bullæ: *Qui Personas, quacunq; illa sint &c.*

U. Admitto tanquam vera quæ dicis, recordaberis autem conformiter ad alibi dicta, quòd Minister Sacramenti Pœnitentiæ debeat Pœnitenti imponere obligationem sub juramento comparandi coram Superiore quando est necessesse,

enim
su quo
bfolu-
puni-
am ir-
tentia
quan-
eat ob-
dixi)
onsen-
verum
recep-
citan-
um in
fascu-
tat ex
qua-
dicis,
er ad
ment:
re ob-
aren-
reces-
se,

quare pro complemento hujus
Quæst: quæro, an quando Censuræ
occultæ sit imponenda hujusmo-
obligatio se præsentandi?
Dico esse imponendam, & ratio est:
quia obligatio comparendi coram Su-
periore est universaliter imponenda il-
lis, qui pro absolutione ad ipsum re-
currere debent (ut decernitur in c.
De cetero & c. Quod de his & c. Quamvis
de Sent. Excomm:) atqui quando Cen-
sura est reservata five sit publica five
occulta semper est recurrendum ad Su-
periores pro absolutione, cum refer-
vatio tollat jurisdictionem ab inferio-
ri, ergo semper est imponenda talis
obligatio; adverto autem hîc quòd
quando Censura est reservata Episco-
po, sufficiat se præsentare ejusdem Vi-
cario (si Vicari^o speciale habeat man-
datum) Itaq; imponenda est obligatio
comparendi etiam Hæretico occulto
coram illo ad quem spectat à crimine
Hæresis absolvere.

U. Supponamus quòd Hæreticus sit delatus ad forum externum quid tunc?
 S. Si est capax reconciliationis, est ei imponenda obligatio ut se præsentet; nam in tantum non esset imponenda, in quantum non posset obligari ad subeundam pœnam quæ ipsi imponeretur, atqui hoc non obstat, quia majorem pœnam subiret non comparando, quàm comparando: si enim compareat recipitur tanquam Pœnitens, & misericorditer cum ipso proceditur quoad pœnas imponendas, alit si non compareat habetur pro impœnitente & traditur Curiaæ sæculari, vi: *Farinæ, de Hæresi quest. 185. §. 7. num. 93.*

V. Non obligabis utiq; Hæreticum relapsam ad comparandum, si comparando certus sit de morte sibi inferenda.

S. Scio doctrinam communem Theologor: post *Angelic.* quòd nemo teneatur facere illud unde mors sibi obveniat; hinc quia jus naturale confer-

van-

mandi propriam vitam favet relapso,
solum jus positivum est contra ip-
sum, cum ex solo jure positivo tenea-
tur absolvens imponere obligationem
comparendi, propterea in tali casu vel
concurfu jurium, cedit jus positivum
naturali, adeoq; obligatio comparen-
di non debet imponi.

F. Nunquid jus naturale obligat ad pu-
nienda delicta eo modo, quo puniri
possunt?

S. Ita est; non tamen obligat reum, ut
se puniendum exhibeat.

U. Saltem per Procuratorem compa-
rere poterit.

S. Obligatio qua debet imponi quan-
do absolvitur, est de presentando se
personaliter, ut constat ex *c. Cate-
rum de Sent. Excomm.* & ideo si non po-
test personaliter comparere non debet
obligari ut compareat per Procurato-
rem, sicut non obligantur ad compa-
rendum per Procuratorem, qui per-
petuum habent impedimentum.

L15

U. Com-

V. Compareat saltèm in ordine ad forum Pœnitentiale.

S. Quocunq; modo compareat, cùm Tribunal fori externi habeat jus ad ipsum capiendum & puniendum utetur jure suo, illumq; detinebit ad procedendum contrà ipsum in foro externo.

V. Possset contingere quòd Sacerdos absolvens in periculo mortis à referatis v. g. Summo Pontifici &c. vel ex oblivione, vel ex ignorantia, vel etiam ex malitia non imponat onus Pœnitenti, ut si evaserit se præsenteret Superiori pro mandato ipsius suscipiendo, peto an absolutio tunc valeat?

S. Valet, habet namq; omnia requisita ad sui validitatem, quia facultas absolvendi in tali casu non est concessa sub conditione aut modo quòd imponatur tale onus, sed absolutè, & jurisdictionis absolutis quæ prius erat restricta, desinit in tali periculo esse restricta, ergo potest validè se extendere ad actum absolutionis, licèt absolvens

ens non imponat onus comparendi,
de Navar. s. 27. Manual. num. 37. Bonae.
Disp. 1. de Cens. q. 3. punct. 3. num. 14.
Masquez de Excomm. dub. 19.

Q. Si autem Sacerdos absolvens non
imponeret onus comparendi, essetne
Pœnitens adhuc obligatus ad compa-
rendum?

S. Non : quia obligatio quæ imponi-
tur à jure non est de comparando, sed
de injungendo onere comparendi, &
afficit non Pœnitentem sed Confessa-
rium, ità c. De catero de Sent. Excom-
muni: sed est illi sub juramenti debito in-
jungendum, ut quàm citius opportunita-
tem habuerit Romanum Pontificem adeat.
& c. Quod de his ubi: Caterùm ab his
& c. excigi consuevit, ut reassumptis viri-
bus, & opportunitate concessâ Romanam
Ecclesiam in propria Persona debeant vi-
sitare. Cùm ergo Jus Canonic. non im-
ponat Pœnitenti onus ad comparen-
dum, sed obliget Confessarium ad im-
ponendum, si Confessarius non im-

ponat, Pœnitens manet absq; obligatione; nec obstat quod in *c. Eos qui de Sent. Excomm. in 6.* statuatur: illos qui cessante periculo vel impedimento contempserint se præsentare ijs à quibus absolvi debebant, reincidere in eandem Sententiam, nam (ut consideranti patet) textus exprimit, monitum seu insinuationem obligationis ad præsentandum se Superiori præcessisse: & cum hoc aduerto posse extinguvi obligationem se præsentandi Superiori si Pœnitens confiteatur peccata reservata habenti facultatem absolventi. Deniq; etiamsi Pœnitens parti satisfecerit, tenebitur nihilominus adhuc se præsentare Superiori pro quo vi: *Covar. in cap. Alma Mater par. 1. §. 11 num. 13. Suarez. Disp. 30. de Pœnit. Sec. 2. num. 6. Sanchez lib. 2. in Decal. cap. 3. n. 18. §. 29. Layman. lib. 1. Theol. Moral. Tract. 5. par. 2. c. 6. n. 4. Bonac. Disp. 1. de Cens. q. 3. punct. 3. num. 12. Bossi. Discep. 1. Moral. dub. 6. n. 165.*

QUÆ